



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

**Toledo, Francisco de
Coloniæ Agrippinæ**

24. De auaritia, quid sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40916

Quartò, cum propter finem aliquem, qui sit mortale peccatum, appetitur honor vel dignitas; vt cum appetitur propter vindictam, vel ad alium malum vsum mortalem. His modis ambitio mortale peccatum est, in reliquis verò veniale est.

De Auaritia, quid sit.

CAPVT XXIV.

Secundum capitale vitium est Auaritia, de qua tractat S. Thom. 2. 2. quæst. 118. Hæc autem sic potest describi. *Est amor immoderatus habendi.* In qua descriptione sunt tres partes.

Prima est, *amor*, Est enim Auaritia, appetitus, & affectus quidam, pertinetq; ad voluntatem.

Secunda pars est, *habendi*. Per hoc vocabulum intelligimus res viles, puta, pecunias, & alia, quæ pecunia æstimantur, ad proprios vsus, qualia sunt pecora, vineæ, domus, & alia huiusmodi, quæ diuitiæ vocantur. Amor enim horum, est Auaritia, si accedat tertia pars definitionis, nempe, quod sit *immoderatus*, puta sine modo, & regula, seu mensura rationis.

Aduerte autem, quod Auaritia consistit in his casibus & actibus, vt, in retinendo pecunias, & res alias viles præter modum, puta, non dando, quando, quomodo, & quibus oportet; aut in acquirendo huiusmodi, & congregando præter modum; aut tertio in immoderato affectu erga res huiusmodi.

Aduerte rursus, quod auaritia non solum consistit in ordine ad alterum, puta, non dando alteri, aut accipiendo ab altero, sed erga seipsum potest homo esse auarus, cum sumptus necessarios sibi negat ex affectu pecuniæ. Habemus ergo ex his, quid sit Auaritia. Hæc autem habet vitium quoddam sibi contrarium, & extremum, puta; Prodigalitatem. Hæc autem consistit in dando plus, quam potest, aut in minus, quam oportet, propria conseruando, non solum erga alios, sed erga seipsum: victus enim superfluis ad prodigalitatem

tatem spectat. In medio autem consistit liberalitas, qua moderatus amor est diuitiarum: dat enim & retinet, quando, & quomodo oportet. Vnum tamen hic aduertendum est, quod Auaritia opponitur, & contraria est duplici virtuti, puta, iustitiae & liberalitati; tunc enim est contra iustitiam, cum versatur circa alienum, puta, cum non datur, quod debetur, ex amore ipsius pecuniae; aut cum accipitur quod alienum est, per furtum, rapinam, vsuram, vel alia iniusta via. Cum vero versatur circa propria, puta, circa immoderatum affectum in rebus proprijs, tunc est contra liberalitatem. Similiter etiam prodigalitas opponitur iustitiae & liberalitati. Iustitiae, cum prodigius est aliquis ex alieno; vt, cum multa debeat, inutiliter consumit pecunias, & fit impotens ad soluendum. Liberalitati, cum ex proprijs tantum immoderate consumit. Pareat ergo, quid Auaritia, quid Prodigalitas sit, & quibus contrariae sint virtutibus.

Quale peccatum sint Auaritia, & Prodigalitas.

CAPVT XXV.

AD cognoscendum quale peccatum sit Auaritia, oportet considerare, & distinguere, quando contra iustitiam, & quando contra liberalitatem est. Cum enim est contra iustitiam, ex genere suo est mortale peccatum, & de facto est mortale, nisi ob leuitatem materiae, vel ob defectum deliberationis fiat veniale: vnde, qui ex auaritia, & pecuniae affectu retinet alienum, nolens restituere, aut accipit alienum via aliqua iniusta, mortaliter peccat. Quando vero est contra liberalitatem, tunc ex se veniale peccatum est; quamuis fiat mortale, cum opponitur praecipuo charitatis: v.g. retinere multum pecunias proprias, nolendo dare, & succurrere alteri, & habendo immoderatum appetitum earum, veniale est: si tamen homo ex tali affectu non succurrat indigenti posito in extrema, aut graui necessitate, cum obligatur praecipuo charitatis, mortaliter peccat. Similiter, cum est paratus negligere, seu transgredi diuinum praecipuum potius, quam separare affectum a pecunia, peccat etiam mortaliter: vt, qui paratus est, si possit, furari, aut vsuram dare, aut negare indigenti extreme, aut quid simile. Idem etiam dicendum est de Prodigalitate:

cum